

A compertum ait Plinius, furto abactos, agnita voce suarij, merso nauigio inclinacione lateris vnius, ad dominum remeasse.

## ADVLATOR ET SCVRRA.

**S**Vnt qui adulatorem, blandiloquum, & mordacem simul scurrām, per canis Hieroglyphicum ostendant, quorum alter in obsequiū plus æquo pronus, & alter quælibet in quēuis opprobria fingere sœuus. Diogenica hæc est interpretatio, ipsius de se testimonio. Nā is interrogatus ab Alexādro, ob quæ facta Canis nomen vulgō sortitus esset: Quia, inquit, dentibus blandior, non dentibus oblatro, malos etiam mordeo. Quin & coniectores, vt apud Hebræos legi, eum qui per nocturnā quietem imaginatus sit canem videre, obtrectatoribus obiectum fore præsagiunt. Alexander idem dum sibi lusum quærerit, sportulam Diogeni ossium plenam dono misit. Accepit eam Cynicus, & superaddidit: Caminus hic quidem cibus, sed donum haudquaquam regium.

Diogenis  
scomma  
in Alexā  
drum.

## F A M E S.

B **C**aninam quandam famem memorāt, quā Græci βεληνίαν appellauere, nos Cesuritionem dicere possumus: vtcunq; Dauides hanc eruditissimè tetigit Psalmo LV 111, vbi canit: Cōuertetur ad vesperā, & fame cōficietur vt canes, ciuitates hac illa peruagātes, cùm futuram Iudæorū mendicitatem prælagiret: nam & ipsum famis vocabulum frequenter pro mendicitate usurpatū inuenias.

## D E S P I C A T V S.

**I**N Sacris literis plurimū inuenias canem pro re humili, abiecta & cōtemptiibili positum. Quem sermonem ne quis Neapolitanorū tantūm esse putet, de Mephiboleta Ionathæ filio legimus, cùm insperatis à Dauide beneficiis affectus esset, & cōtinuò mensa Regia fodalitio dignatus, dixisse eum, humilitatē professus, suam: Ecquis ego sum Ieruus tuus, vt respiceres, super canem mortuum, cui ego sum similis? Et Dauid ipse cùm Regem suum Saulem se hostiliter infectantem in manibus solum habuisset, chlamydis regiæ oram præcidisse contentus, subsecutus eum clamauit: Quem persequeris Rex Israél: quem persequeris? canem mortuum persequeris.

1. Reg. ca.  
24.

## F V G A.

C **Q**uod si fugā notare voluerimus, canem identidem, sed subiecta inter crura cauda figurabimus. Hieroglyphici causam nemo eorū quos in hoc argumento sequimur, explicauit. Fragmentū ego à re ipsa dubio procul sumptum crediderim, vulgato in hæc tempora proverbio, vt eum qui animum despōdeat, vel ab incepto propter ignauiam perculsus meticulosè desistat, subiicere eum, inter crura caudam obiiciamus. Quotiens enim canes fugam arripiūt, præmetu abacti caudam inter crura subiiciunt. Quod cùm insigniter etiam in lupo obseruatum sit, Maro elegantissimè rem ipsam descripsit, vt suo loco dicitum.

## CLADIS P R A E S A G I V M.

**I**N Aruspicina memoria proditum est, huiusmodi gestum caudæ ytero subiectæ, in victimis quas adolerētur futuræ cladis præsagiū dedisse, obtorta verò si foret cauda, bellorum difficultatem portendere, vt apud Didymū legere est.

## V I C T O R I A E P R A E S A G I V M.

**A**LITER autem cursu perciti seu prædam insequantur, seu temere lasciuant, surrectam, aut exorrectam caudam habere solent, cuiusmodi effigies est in numo. C. Posthumi, in quo cernere est currentem canem, cauda ita vt dicens

C. Posthū  
minimus.